Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 15ta

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

Conclusio 2da. usus non versatur circa finem, sed circa media tantum Cuius ratio est; usus eo ipso, quod est applicatio potentiarum ad operandum, immediate versatur circa operationes nostras, quae haud dubie sunt media ad aliquid obtinendum.

Dices: si immediate versari usum circa nostras operationes, igitur non mediate, et ex consequenti versatur etiam circa res ipsas, quatenus illae per actiones nostras [illegible] ordinantur, per nostram actionem, quia in finem tendimus mediante [illegible].

Deinde, non dicimus fine uti, sed frui, mediis autem non frui, sed uti; et quamvis cum Deus sit finis ultimus, implicat ipsum in usum venire, teste S. Augustino qui libro 1. de doct. Christiana c. 4. ait. Uti est id, quod in usum venit, referre ad id, quod amas obtinendum. Quaeritur 15. quid et cuius obiecti et subiecti sit fruitio.

Quaestio 15ta

Quid, et cuius obiecti, et subiecti sit fruitio.

Quando post tot enumeratos voluntatis aliarumque potentiarum actus is, qui propter finem operatur, eundem obtinet ac possidet, sequitur tandem ultimus actus propter finem, qui dicitur fruitio; quod nomen desumitur a fructu, qui est quod ultimo, quod ab arbore exspectatur, et cum suavitate percipitur, et actus, quo tale quid percipitur dicitur fruitio, prout notat S. Thom. 1. 2. q. 11. a. 1. et q. 4.

Conclusio 1ma. fruitio est actus potentiae appetitivae, non intellectivae. S. Th. l. c. a. 1. post sanctum August. l. 1. de doct. christ. c. 4. ubi inquit: frui est alicui rei amore inhaerere propter se ipsam. Declaratur: tres potissimum actus reperiuntur in eo, qui aliquo fruitur, videlicet possessio, boni amor, et delectatio de eodem, in quorum uno constitui debet ratio fruitionis; atqui possessio boni non est eiusdem fruitio, nam potest aliquis possidere bonum aliquod et interim non frui; neque non aeger dicitur frui medicinis, quas cum amaritudine possidet, et utitur; ergo fruitio vel in amore vel in delectatione ponenda est, quorum uterque est actus voluntatis, sive potentiae appetitivae. Confirmatur. delectari et frui Deo hic possumus, et hoc nostrum factum est actus meritorius; ergo frui est actus voluntatis. patet antecedens: probatur consequentia.

quia omnis actus liber est actus volitus; fruitio est actus liber, hoc ipso quod sit meritorius, ergo actus volitus.

Conclusio 2da. Delectatio, non amor, est proprie fruitio. S. Ths q. 4. a. 3. in corpore & q. 25. a. 2. in corpore post S. Aug. Ratio est primo: amor suapte natura abstrahit a bono obtento, eiusdemque est rationis, sive adsit, sive absit delectatio: atqui fruitio proprie non est, nisi de bono obtento. 2do fruitio est finalis quies, et veluti quaedam deceptio fruentis in re amata, ipse autem amor, ut de se liquet, est potius tendentia et veluti vitale pondus, ac propensio in rem amatam, ac proinde multum differt a delectatione quieta & finali deceptione, et consequenter non amor, sed delectatio erit formalis & propria fruitio. ergo.

Conclusio 3tia. Fruitio convenit proprie soli naturae rationali, brutis non nisi improprie. S. Th. h. a. 2. Ratio est: fruitio supponit amorem finis, amor autem iste supponit perfectam cognitionem finis, qua bruta destituuntur, et ideo tametsi bruta delectentur et de suis obiectis obtentis, non tamen proprie iisdem frui dicuntur.

Conclusio 4ta. Fruitionis obiectum proprium est solum bonum delectabile, qua tale. Ratio est: fruitio formaliter est delectatio, cuius obiectum esse bonum delectabile per se patet. Nec refert quod et de bono honesto obtento delectemur, cum et ipsa honestas, in quantum fruitionis obiectum est, induat rationem delectabilis, ad eum fere modum, quo gustus delectatur saccaro albo, non quod ipsum album est, sed prout sit cum dulcedine coniuncta est, delectat.

Conclusio 5. Fruitio perfecta & simpliciter dicta habet pro obiecto suo finem ultimum. Ita post S. August. S. Ths a. 3. & communis Th. Th. Ratio est: fruitio est perfecta quies non nisi in solo ultimo bono delectabili; nam nomen fruitionis a fructu arboris deductum est, ut supra memoratum, qui ultimum quiddam ex arbore proveniens cum delectatione sumitur, ergo cum solus ultimus finis rationem perfectam ultimi habeat, et quies in eo sola perfecta & ultima quies sit, consequens est, perfectam fruitionem esse tantum de ultimo fine adaequato, qui omnino constituitur ex obiectivo & formali.

Conclusio 6ta. Fruitio latius sumpta & imperfecta, sive secundum quid, haberi potest et de fine proximo sive intermedio. Ita S. Ths.

ratio: quia bonum est honestabile & expetibile, et aliquo modo sic ultimum finem est sic delectans voluntatem, ergo potest voluntas aliquo modo in eo quiescere, seu consequenter aliquo modo eo frui, sed imperfecte.

Dices 2do: sic et medijs quoque frui dicimur, ergo et illa delectari possunt voluntatem; experimur n. nos multum aliquo delectari, cum media convenientia obtinemus, et ea diligenter executioni mandamus: ergo; R. nego consequentiam, quia de medijs quatenus talibus eo ipso quod ad aliud ulterius ordinantur, non potest dari quies, adeoque fruitio, nec delectant illa ut talia ultimum finem, sed ratio, cum de illis gaudeamus est ipse finis.

Dices 3tio: similiter dici, quod frui creatura sit peccatum mortale, ergo non est frui finibus ultimis, qui creaturae quaedam sunt. R. frui creatura, fruitione perfecta, & simpliciter dicta esse peccatum mortale; frui autem imperfecte, & sicut creatura est de lege non esse peccatum mortale.

Conclusio 5ta: in via dabitur quaedam imperfecta & improprie dicta fruitio de fine ultimo per spem habito S. Thom. a. 3.
Ratio est: spes consequendi ultimum finem est quaedam inchoata possessio, aut consecutio; unde fieri potest, & experimur de facto, nos tali spe vehementer delectari, & gaudere, juxta illud Romanorum 12: spe gaudentes: ergo huius modi delectatio potest dici imperfecta quaedam fruitio. Imperfecta, inquam, non quia versetur circa bonum perfectum & proprie fruibile, sed quia circa illud proprie fruibile, non ut vere possessum & obtentum versetur. distinctio 3tia de actibus humanis bonitatem & malitiam eorum spectabus.

Absolvimus autem hunc tractatum [illegible] 17
mensis Novembris juvante Deo, & adm
currente calamo usque
ad distinctionem
Tertiam.